



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Ad quid erga proximum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

2. *Ad quid erga proximum.*
 3. *Quam grauius puniatur falsum testimoniū.*

Exigit Deus à nobis hoc præcepto, vt propter ipsum præstemus veritatem in omni vita dictis & factis. Sic enim inquit Propheta Psal. 30. quoniã veritatem requirit Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam. Quoniam ergo Deus est summa veritas, ideo vult vt propter ipsum simus veraces: & omnis qui seruat veritatem, Deum honorat. Qui autem mendacium diligit, diabolum honorat, & illi seruit: hic enim est pater mendacij, Ioan. 8. Ideo petijt Propheta Psal. 118. Ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque &c.

Maximè ergo requirit Deus, vt propter ipsum præstemus veritatem in iudicijs, in cõtractibus, emptio- nibus ac venditionibus. Quare falsa testimonia, ac- cusationes, sententiæ atque iudicia maximè prohi- bentur, vt propter ipsum Deum ab his abstineamus. Vt enim hic confirmantur iudicia, & omnia forensia officia, si ritè & bona conscientia fiant, in hunc enim finem Deus ordinauit magistratum. Romanor 13. Ita econtrã damnantur omnes falsæ & calumniosæ ac- cusationes, falsa testimonia, violationes pactorum ac promissionum. Deus enim est qui dicit, Non dices falsum testimonium &c. Ergo propter ipsum obe- dire debemus.

Secundò, hoc præcepto exigit à nobis Deus, vt pro- ximi nostri gloriam, honorem, fidem & famam iuue- mus cõseruari & augeri, sicut nos cupimus nobis fie- ri ab alijs hominibus, iuxta naturalem regulã. Matt. 7. Et hoc propter Deum facere debemus erga proxi- mum. Igitur grauissimè peccant, qui mendacijs, de- tractionibus, falsis suspicionibus fuiãtur bonã famã alterius: melius est em̃ nomen bonum, quàm diuitiæ multæ,

multæ, Prouerb 22. Quòd si verbum omne ociosum
 in iudicio suam habebit sententiam, Matth. 12. quid
 fiet de his verbis, quibus proximus in fama læditur,
 quibus pax & concordia scinditur, vbi mendacium
 testificatur pro veritate? id quod Apostolus Rom. 1.
 pro grauiissimo peccato enumerat, quod etiam mere-
 tur reprobum sensum, inquit: cõmutauerunt ve-
 ritatem Dei in mendacium. & ibidem 2. cap. inquit:
 Qui non acquiescunt veritati, cõsentiunt autem ini-
 quitati. Ideò ad Ephes. 4 admonet, inquit: Loqui-
 mini vnusquisque proximo suo veritatem, quoniam
 inuicem sumus membra. Tenetur igitur quisq; pro-
 ximo suo loqui veritatem, & eius bonam famam &
 nomẽ defendere, omnia piẽ interpretari, & hoc pro-
 pter Deum qui id iubet & exigit à nobis. Sunt autem
 tria genera contrariantium huic præcepto Dei, scilicet
 detractores, mendaces, suspiciosi: hi nociui sunt
 proximo suo, primò, detractores, qui Deo sunt obedi-
 biles, Rom. 1. Sæpè ac multa loquuntur à tergo falsa
 pro veris de proximo, & sic famam ac bonam estimati-
 onem furantur. Hoc vitium iam admodum vulga-
 re est in mundo, & non habetur ampliùs pro pecca-
 to. Hoc itaque notandum est, quòd qui falsos sermo-
 nes de aliquo spargunt, ij tenentur ad restitutionem
 famæ, sicut in furto, vt Gerson inquit. Nam inter bo-
 na externa præcipuum est bona æstimatio: rectè igitur
 dicitur ab Augustino, Bona conscientia opus est
 nobis, bona autem fama de nobis opus est proximo
 nam honesta opinio inuitat alios ad virtutem. Ideò
 dicitur Eccl. 41. Curam habeto de bono nomine, hoc
 enim præstantius est mille thesauris: Vndè illa sen-
 tentia, honestus rumor alterum patrimonium. Sunt
 itaque peiores, qui aliorum famam, & præcipuè do-
 ctorum vitam, rodunt, quàm qui diripiunt aliorum
 bona. Vide latiùs de detractone. Secundum genus
 est mendaciloquorum: est autem mētiri, aliud loqui
 quàm

quàm sentias, & dissimulata veritate falsa dicere, & hoc semper est peccatum mortale, quia fit iniusta voluntate nocendi, & est damnabile coram Deo, iuxta illud Psal. 5. Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Est verò etiam mēdaciū necessarium seu occultatio quædam, quando ex iusta causa aliquid occultatur, sine detrimento tamen alterius. Sic Abraham dissimulat Saram suam esse coniugem, & dicebat sororem esse, Genes. 12. & 20. Sic obstetrices in Aegypto excusant se, Exo. 1. Sic Raab defendit exploratores Iosue 2. David simulat se morbo laborare, cū ad regem sibi infensum esset eundem, 1. Reg. 21. Sic Judith fallit Holofernem, Judith. 13. Talis occultatio non est mendacium: nam mentiri non est solū occultare, sed occultata veritate falsum dicere. Christus occultavit se duobus discipulis in Emaus, Luc. ultimo, tamen non negat se eum esse, qui erat: ideo tales occultationes non sunt peccata, nam differunt hæc duo, quando id quod debet dici, occultatur vel deprauatur. Sic aduersus hostem licet vti occultatione pro tanto, ne violentur pacta. Nam pactorum & iusiurandi religio iure diuino seruanda est, atque adeò fides hosti data seruanda est. Sed præter pactum & iusiurandum vti occultatione consiliorum cōcessum est. Sic occultare licet innocētem à Tyranni alicuius inquisitione, ne ipsum miserabiliter & innocēter trucidari faciat: in tali enim casu manifestatio spontanea peccatum est. Est quoque mendacium iocofum, vt sunt poëmatata, & fabrè dicta, vt dum dicimus lupum esse imaginem tyranni, vulpeculam viri circumspecti, &c. Tertium genus est suspiciosorum hominum, qui de proximo nihil boni cogitant, sed omnia verba & facta eius sinistrè interpretantur: & magnum studium est quorundam, vt deprauent probabiliter dicta & facta aliorum, quemadmodū Iudæi miracula Christi adscribebant Beelzebub principi dæmo-

dæmo-

dæmoniorum, Luc. 11. Sic Phariseus factum peccatricis Luc. 7 inquit: Hic si esset propheta &c. Tales falsum testimonium sæpè committunt contra proximum. Eccles. 3 Multos supplantauit suspicio, scilicet illorum qui malitia cordis laborant. Tales sunt pessimi homines, qui eiusmodi effutiunt & imaginantur de alijs, quod tamen illi nunquam audiverunt aut cogitarunt.

3. Tertio, dicit scriptura Prover. 19. Testis falsus erit impunitus: qui ergò Deum, qui summa est veritas, nò timet, idq; ad honorem eius, is non est verus & ipsum certissima pœna manebit, sicut patet in diebus senioribus Susannæ, Daniel. 13. qui lapidatus ab omni populo. Porro peccat falsus testis, qui accipit iudicem: nam iudex iuxta eius allegata pronuntiat sententiam, & sic ampliùs grauatur peccatum, falsi testimonij, & ideò dicitur Proverb. 22. Testis mendax peribit de populo meo, nam incurrit maximam Dei iram, iuxta illud 1. Paralip. 19. Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia muneris. Peccat postremò falsus testis in proximum cumq; innocentem què falso testimonio lædit. Proverb. 25. Iaculum & gladius & sagitta acuta, hoc est qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium. Sicut enim homo læditur ac vulneratur a sagitta aut gladio, ita quoq; in fama sua falso testimonio. Nec etiam solùm grauiter peccant, qui loquuntur falsum testimonium, sed quoq; ij qui libenter audiunt, assensum præbent, & cito credunt &c.

CAPVT XXII.

ARGVMENTA.

1. *Quòd iudicium politicum sit opus Dei, & ab illo ordinatum.*

2. *Quòd*